

datum (X, 40-43); agebatur de terrore omnibus Chananaeis incutiendo, et de omni spe illis praecludenda resistendi Iosue et Hebraeorum populo, ad quem finem insignis et completa victoria divino prodigio confirmata valde opportuna videbatur; agebatur denique tum de Iosue auctoritate apud Hebraeos solemniter Dei prodigio stabilienda, tum de Gabaoitarum fide confirmanda qui ad Iosue confugerant, et Hebraeorum auxilium imploraverant (X, 5, 6). Falsum igitur est nullam fuisse utilitatem aut rationem miraculi.

5° Tamen observant adversarii frustra prodigium quaeri ubi res naturaliter explicari potest. Iamvero lucis seu diei productio in facto de quo agimus a naturali aliquo phaenomeno facile repeti potest sive illud fuerit crepusculum consueto diuturnius, sive paretion seu solis iam in Occidente demersi in superposita nube reflectio, ut Grotio placuit, sive solaris lucis refractione per grandinis lapides, ut vult Spinosa, sive fulgurum concursio cum lunae splendore coniuncta ut Michaelis et Iahn coniecerunt, sive aliud quiddam quod diurnae lucis vices quacunque ratione praebere posset. Nulla ergo necessitas miraculum admittendi.

Verum frustra ingenium torquent adversarii ut, sublato prodigio, factum explicant. Auctor enim clare et rotundis verbis 1° affirmat diem duplo maiorem fuisse; 2° tot Iosue et Hebraeorum gesta narrat hac die peracta, quot duplici diurno tempore vix absolvi potuerint; 3° satis clare innuit solem occasum proximum non fuisse cum sistere iussus est, contra id quod adversarii supponunt; 4° denique omnibus ad finem perductis, et quinque captivis regibus interfectis, atque coram populo suspensis, tunc tandem *solem occubuisse* narrat (X, 27). Quomodo nam haec cum adversariorum hypothese componi possunt? Numquid universus Hebraeorum exercitus, et ipse illustris eorum dux tam stupidi fuerunt ut crepusculum, vel fulgura, vel lunam cum sole confunderent, aut quid demum fuit ille sol qui dicitur occubuisse sub finem diei huius? Hisce adde paretion et crepusculum iuxta naturae leges ad unam tantum vel alteram horam ut maxime durare posse non autem ad octo vel decem horas ut in casu nostro factum est. Aut ergo fidem negent adversarii historiae Iosue, aut fateantur factum huiusmodi esse ut naturaliter explicari nequeat. Ex quibus patet etiam non immerito posse argumentum contra quosdam adversarios retorqueri, qui scilicet dum sacrum scriptorem de legum physicarum

ignorantia accusant ipsi in absurda incidunt, et phaenomena naturae ordini repugnantia confingunt.

6° Quod pertinet ad poeticam loquutionem et figuratum verborum sensum iam satis supra dictum est: scilicet etiamsi daretur verba v. 12, 13 integra ex poetico libro excerpta esse, quod tamen diximus probabile non videri, adhuc tamen historicus narrationis sensus salvus maneret, quem series orationis, adiuncta, aliorum scriptorum testimonium, et certa Iudaeorum ac Christianorum traditio prorsus exposcit.

§. III. De voto Iephte (Iudicum XI, 29-40)

In capite XI libri Iudicum difficilis occurrit historia unius ex Iudicibus scilicet Iephte filiam suam unicam Deo sacrificantis. Cum enim Iudex constitutus fuisset ut a servitute Ammonitarum Hebraeos liberaret primum de hoc negotio egit cum Ammonitarum rege, cum autem pacem impetrare non potuisset eos vi et armis adortus est Domino vovens se primum sibi occurrentem post victoriam Deo immolaturum: cum autem, parva victoria, filia eius unica illi occurrisset eam sacrificavit. In qua narratione adversarii Scripturam accusant veluti si humana sacrificia apud Gentiles usitata probaverit. Ita Voltaire in *Lexico philos.* et alii passim. Quid de hac historia sentiendum sit docebit sequens

THESIS XXXIII.

Quamvis Scripturarum veritati aut sanctitati minime obstat sententia eorum, qui tenent, Iephte filiam suam unicam voti causa vere ac proprie Deo immolasse (Iud. XI, 29-40), verosimilius tamen putamus laudatam narrationem non de vera ac cruenta, sed de civili seu morali puellae immolatione intelligendam esse.

Antequam ad quaestionis tractationem veniamus quam S. Augustinus magnam et ad diiudicandum difficillimam vocat (in lib. Iud. quaest. 49) integer contextus recitandus est, qui quidem in vulgata Latina ita se habet: « Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, et circumiens Galaad et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, votum voti Domini, dicens: si

tradideris filios Ammon in manus meas; quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihi que occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Transititque Iephte ad filios Ammon ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius. Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith viginti civitates, et usque ad Abel, quae est vineis constita, plaga magna nimis; humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. Revertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris: non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua, et ait: heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: hoc solum mihi praesta quod deprecor: dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abisset cum sociis, ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quae ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, et consuetudo servata est: ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israel, et plangant filiam Iephte Galaaditae diebus quatuor.

Antequam ad quaestionem pertractandam accedamus, praestabit quaedam animadvertere de literalis narrationis sensu. Et imprimis quod spectat ad verba quibus votum Iephte exprimitur observant nonnulli hebraicum textum sensum paulo latiore habere posse. Ita enim sonat: « Vovit Iephte votum Domino et dixit: si dando dederis filios Ammon in manus meas, et erit: egrediens quod egredietur de foribus domus meae obviam mihi.... erit Domino, aut offeram illum holocaustum. » Notum est enim literam *Vau* saepe pro disiunctiva poni, et phrasim illam *erit Domino* de quacumque speciali consecratione divino cultui intelligi posse. Itaque Iephte disiunctive vovisset se primum obvium vel immolaturum, si nempe sacrificio aptus esset, vel Domino consecraturum, si nempe sacrificari non posset. Haec de verbis quibus votum exprimitur (v. 31). Etiam verba quibus voti solutio narratur paulo diversa sunt. Vulgata enim habet (v. 39) « reversa est ad patrem suum, et fecit ei (pater)

sicut voverat, quae ignorabat virum » sed in Hebraeo est: « fecit ei votum suum quod voverat, et ipsa non cognovit virum » ubi virginitas non tam antecedens quam subsequens votum, et ex ipsa voti solutione dependens designari videtur. Consentit versio των LXX quae habet: και ποιησεν εν αυτη την εδχην αυτου, ην ηυξαστο, και αυτη ουκ εγνω ανδρα, και εγενετο εις προσταγμα εν Ισραηλ.

Hisce declaratis de literalis verborum sensu, dicimus duas esse interpretum de voto Iephte sententias. Prima sententia tenet laudatum Iudicem vere ac proprie *cruentam mactationem* primi cuiusque sibi occurrentis vovisse, et voti huius causa filiam suam unicam postea vere mactasse. Haec sententia satis communis apud veteres fuit: eam defendunt Iosephus Flavius (Antiq. V, 9), Targum in Iudices, Pseudo Iustinus (quaest. ad Orthod.), Auctor carminis in Marcionem (lib. III), Epiphanius (haer. 85), Ambrosius (de Offic. III, 12), Hieronymus (in Ier. VII), Theodoretus (in Iud. quaest. 20), Chrysostomus (hom. XIV ad Antioch.), Augustinus, Nazianzenus, Procopius, Sulpicius Severus et alii; ex scholasticis autem et Theologis S. Thomas (2, 2 q. 88, art. 2) cum Thomistis passim, Serarius, Tirinus, Menochius, et praecipue Calmet in disert. de Voto Iephte praefixa libro Iudicam. Ex his autem aliqui omnino damnant votum eiusque auctorem: ita auctor carminis in Marcionem, Ambrosius, Procopius et alii; ex quibus Ambrosius ait: « Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit » et S. Thomas illud Hieronymi adducit: « In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius. » Hi etiam dicunt Deum impedire noluisse occisionem puellae ut patrem pro voto temere suscepto puniret. Alii contra summis laudibus Iephte, eiusque facinus extollunt, eumque non dubitant ipsi Abrahamo hac in re comparare, qui ob Dei amorem filium suum immolare non haesitabat. Ita Chrysostomus et plerique alii superius laudati. Alii denique media via quodammodo incedentes distinguunt actum in se spectatum ab animo seu intentione agentis, et actum quidem condemnant, animum autem Iephte laudant, aut saltem a culpa eum excusant dum legis ignorantia, et militari quodam ardore limites honestatis praetergressus est, dum studeret Deum sibi propitium reddere in praelio, et postea fidem semel datam, non obstante paterno amore, omnino solvere voluit.

Secunda sententia negat in citato loco sermonem esse de reali

et cruenta filiae Iephte immolatione, et contendit votum illud eiusque solutionem intelligendam esse de *moralis* et *civili* puellae sacrificio quatenus nempe eadem ex patris voto et proprio consensu (qui expresse innuit v. 36) perpetuae virginitati, et tabernaculi servitibus addicta fuerit. Hanc sententiam tuebantur ex Iudaeis David et Ioseph Kimchi, Rabbi Levi Gersonides, R. Maimonides alique, et ex nostris Lyranus, Pagninus, Malvenda, et recentius Granelli (Lezioni 236-37), Du-Clot, Mariana, Ghiringhella et alii plerique, multi etiam ex protestantibus cum Drusio, Grotio etc. Itaque ut questionem rite expendamus ad examen revocabimus fundamenta utriusque sententiae ostendentes 1° iuxta antiquorum opinionem Sacram Scripturam adhuc ab omni labe immunem esse, 2° vero secundam sententiam gravioribus argumentis inniti, et ideo probabilioris videri.

I. Expenditur prima sententia, de *reali* et *cruenta* filiae Iephte immolatione.

Haec sententia sequentibus argumentis confirmari solet, quae eloquenter proponuntur a Calmeto in citata dissertatione.

1° Obvius verborum sensus est Iephte non rem quancumque, sed hominem Deo vovisse in holocaustum. Et sane, ad obiectum voti quod attinet, Iephte vovet se Deo immolaturum eum *qui primus ex foribus domus suae egressus sibi obviam occurrisset*. Porro quid aliud revertenti de praelio occurrere poterat ex eius domo egrediens nisi aliquis ex propinquis vel amicis, praesertim cum sciamus hunc fuisse morem illius temporis ut chori puellarum cum propinquis et amicis obviam irent victoribus ducibus? Num forte expectabat Iephte aliquod brutum animal ex sua domo egressurum, sibi quoque obviam iturum? Quod si etiam cogitare potuisset, sordidum sane, et tanto duce indignum fuisset votum, rem scilicet quamcumque fortasse vilissimam, fortasse etiam immundam et sacrificio ineptam Deo offerendi. Sine dubio igitur hominem Deo vovit. Quod autem hunc se revera immolaturum promiserit patet ex voce ipsa *holocaustum*, hebr. *עֹלָה* quod nunquam aliud quam perfectam immolationem in Scriptura designat, illam scilicet, qua victima mactabatur, ac postea igne absolvebatur ita ut in sacerdotum usum nulla ex parte cederet. Quod autem in hebraico textu ponatur disiunctio, vel scilicet rem consecrandi (*et erit Domino*), vel immolandi (*offeram illum in holocaustum*) admitti non potest. Duo enim

illa, non disiunctive, sed conjunctive accipienda sunt cum nulla ratione opponantur, sed unum in altero contineatur sicut species in genere; ita ut sensus sit: « Erit Domino (offeretur), *et quidem* in holocaustum » holocaustum enim erat species maxima et nobilissima oblationis. Patet igitur veram ac propriam hominis mactationem a Iephte votam fuisse (v. 31), et consequenter filiam eius vere ac proprie ab eo immolatam esse, quia *fecit ei sicut voverat* (v. 39).

2° Addunt consensum antiquiorum Hebraeorum et Patrum Ecclesiae, quorum plerique historiam Iephte ita interpretati sunt.

3° Opinionem suam confirmant ex mythologia Graecorum, quae refert fabulam Agamemnonis filiam suam Iphigeniam Dianae immolantis, quae fabula ex historia Iephte originem habuisse videtur, praesertim cum epocha fere conveniat; nam obsidio et destructio Troiae in epocham Iudicum incidit.

Ceterum iuxta horum auctorum sententiam Scripturarum sanctitas salva consisteret. Imprimis enim Scriptura factum illud simpliciter narrat, non autem laudat. Quare totius eventus odium et inhonestas, si ulla esset, in ipsum Iephte refunderetur. Neque contrarium ostendit illud quod legitur in vers. 29: « *Factus est ergo super Iephte spiritus Domini*; » hoc enim ad summum demonstrat illum ex divino impulsu bellum contra Ammonitas suscepisse, et mirabili quadam fortitudine (1) divinitus accepta ad exitum perduxisse, ex ea vero minime sequitur omnia et singula quae tunc a Iephte facta sunt a Dei spiritu repetenda esse. Nec magis valet quod plures obiciunt ex epist. Pauli ad Hebraeos cap. XI ubi Iephte inter sanctos V. T. laudatur v. 32, 33: « *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* etc. » Siquidem probari non potest Iephte ob suum votum praecise laudari, et non potius ob alia praeclara et sancte ab eo gesta: vel etiam si ad votum alludatur, non ob actum ipsum sed ob pium animum laudari potuit: « Si Iephte obtulit filiam suam virginem Deo (ait Hieronymus in Ier. VII), non sacrificium placet, sed animus offerentis » vel, ut ait Augustinus (quaest. 49 Iud.): « Propter bonam, fidelemque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum tale meruit testimonium. » Quod etiam S. Thomas confirmat 2, 29. 88 a. 2

(1) Chaldaeus paraphrastes ita vertit ea verba: *factus est super Iephte spiritus fortitudinis a Deo.*

addens quia probabile est eum poenituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat. Haec responsio valet etiam pro alio loco qui obicitur solet Eccli. XLVI, 15, ubi generatim omnes Iudices laudantur: « *quorum, inquit, non est corruptum cor, qui non aversi sunt a Domino.* » Et haec quidem in hypothesi quod votum Iephte eiusque solutio, saltem obiective inspecta, inhonesta fuerit. Verum multi ex Patribus ipsum actum per se honestum dicunt, quatenus Deus qui est vitae hominum Dominus Iephte permiserit, aut praeceperit suam filiam immolare, tum ad sublimis obedientiae exemplum tam in patre quam in filia ostendendum, tum etiam ad typum exhibendum Christi reparatoris, qui ab Aeterno Patre ob hominum salutem morti traditus est.

Et haec quidem de prima opinione.

II. Exponitur secunda opinio de civili seu morali puellae immolatione.

Haec sententia, quam verosimiliorem putamus, sequentibus rationibus innititur.

1° Cruentum hominis sacrificium, et quidem in innocente filia ab ipso patre peractum, facinus est tam insuetum, tam naturae legibus ac pietati contrarium ut in sancto et honesto viro admitti non debeat nisi certis et evidentibus argumentis ex historia probetur. Quod in casu nostro eo magis valet quia humana sacrificia severissime Hebraei vestita fuerant, ut apparet ex libris Moysi Lev. XVIII, 21–25, XX, 2 Dent. XII, 31, XVIII, 10, XXVIII, 8, 8, quibus in locis Deus per Moysen detestatur hoc genus sacrificiorum in Chananaeorum gente, eamque ob causam praecipue eius exterminium decernit, simulque Hebraeis severe inhihet ne tale exemplum unquam imitari audeant. Quapropter si factum Iephte, salva narrationis veritate, et genuina verborum significatione, aliter explicari possit id facere omnino aequum est. Dicimus itaque narrationem de qua loquimur posse commode explicari de incruenta, seu morali filiae Iephte immolatione, nec alterius sententiae argumenta tam valida esse ut contrarium prorsus evincant.

Verba narrationis praesertim ut in textu originario leguntur possunt commode intelligi de civili seu morali sacrificio. Quod pertinet ad verba v. 34 nolumus hic insistere in distinctione superius indicata inter oblationem et holocaustum, veluti si *disiunctive* Iephte promisisset alterutrum se facturum, pro varia scilicet conditione rei,

quae sibi occurrisset. Probabilius enim videtur, quod Calmet aliique contendunt, unum tantum sacrificium in eo voto contineri, idque humanum, non autem indefinite cuiuscumque rei vel animalis. Verum hoc non obstante contendimus ex integro contextu apparere sacrificium illud hominis non cruentum, sed morale, id est oblationem seu perpetuam consecrationem fuisse. Et sane cum patri unigenita filia primo occurrisset, ideoque circa illam votum exequi pararet, haec veniam postulavit ut duobus mensibus permitteretur non quidem *mortem* suam cum sodalibus deslere, sed *virginitatem* (v. 37, 38). Hoc igitur erat quod subire cogebatur vi voti, scilicet perpetuae continentiae addit, quod apud Hebraeos tunc temporis durum et probrosum mulieribus erat. Foecunditas enim in magno pretio habebatur praesertim ob spem aliquam partem seu directe seu indirecte habendi in promissi Messiae generatione, ut apparet ex notis exemplis Sarae, Rachelis, Annae matris Samuelis, Elisabeth etc. Nec difficultatem ingerit quod legitur v. 33, scilicet Iephte, occurrente sibi filia, *vestimenta sua scidisse*, et magno dolore percussum fuisse. Hoc enim non necessario secumfert de vera filiae morte quaestionem fuisse. Siquidem in hypothesi etiam nostra patris dolor optime intelligitur: agebatur enim de unica filia (v. 34), quae in inventus flore omni spe prolis privanda erat, quod tum ipsi puellae, tum patri, nobili praesertim et supremam dignitatem in populo habenti gravissimum certe iuxta illius aetatis mores accidere debebat. Speraverat certe infelix pater filiam suam domi mansuram, ut illum pro sua conditione exciperet, nec cogitaverat eam ante ceteras puellas cum tympanis et choris sibi obviam ituram; hinc stupor ac dolor quem in eius occursum expertus est. Denique verba v. 39 quibus voti solutio narratur rem clarius confirmant. Nec enim illa ibi occurrit mentio de morte, sed potius de virginitatis consecratione voti causa facta sermo est. Quod quidem in Vulgata Latina non obscure innuitur, in Graeca autem, et in textu hebraico apertissime: « *Reversa est, inquit, ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, et (ideoque) ipsa non cognovit virum.* » En igitur quid voverat pater, et quid voti causa puellae factum est. Id etiam confirmari videtur ex postremis verbis (v. 39, 40) ubi sermo est de more puellarum una quotannis conveniendi, et quadriduo filiam Iephte *celebrandi*, vel *consolandi*. Haec enim videtur esse potestas Hebraei vocabuli רָחַץ quod in Vulgata vertitur *ut plangent*.

Haec enim postrema significatio *plangendi* nullibi occurrit in verbo **תנן** bene vero significatio *laudandi*, aut *sermonibus demulcendi* (Iudic. V, 41, Prov. XXXI, 31 etc.). Quare hic locus intelligendus videtur de festivo aliquo puellarum conventu, qui forte paschalibus diebus quotannis haberetur, ad lephte filiam adhuc viventem et tabernaculi servitii addictam in Silo celebrandam et consolandam. Praedicto enim tempore *post anni circuitum* (**בְּיָמֵינוּ יְמִינָהּ**) puellae simul convenire poterant, cum omnes familiae *ascenderent ad templum Domini* (1 Reg. I, 7).

Nec obstat, quod aliqui observant, sacras virgines apud Hebraeos non exstitisse. Hoc enim falsum est si generatim et absque exceptione affirmetur; constat enim ex Lev. XXVII, 1-8, et ex Num. VI integrum fuisse Hebraeis seipso aut suos speciali modo Deo consecrare, quod quidem tum viris tum mulieribus commune erat, et quidem etiam de perpetua consecratione id intelligere datum est, ut apparet exemplis Samsonis, et Samuëlis (Iud. XIII, 7, 1 Reg. I, 11) qui in hac ipsa epocha Iudicum speciali modo adhuc pueri, imo necdum nati Deo in perpetuum consecrati sunt. Nec desunt exempla mulierum: sane Ex. XXXVIII, 8 sermo est de mulieribus quae *excubabant in ostio tabernaculi*, ex quarum speculis labrum aeneum cum basi sua a Moysse confatum dicitur. De his rursus occurrit mentio 1 Reg. II, 22, ubi de impiis sacerdotibus filii Heli sermo est: unde etiam apparet eas virginitatem coluisse tum ob ipsam earum conditionem, tum ob horrorem quem in universo populo excitaverat stuprum a citatis Heli filiis ipsis illatum. Etiam in N. T. Luc. II, 37 sermo est de Anna prophetissa filia Phanuel, « *quae non discedebat de templo ieiunans et obsecrationibus serviens nocte ac die*; » et in 1 Tim. V, 3 de similis professionis mulieribus sermo est: quae quidem si viduae dicuntur tamen in continentia Deo nunc serviebant, quod ad rem nostram sufficit. Prae caeteris autem huc respicit exemplum B. M. Virginis, quae iuxta antiquam traditionem adhuc infantula Deo oblata fuit, et templi servitii dicata. Quare similem consecrationem perpetuam filiae lephte a patre factam supponere licet. Nec valet quod Calmet hic vehementer opponit, huiusmodi continentiae legem nemini invito imponi posse, nec Deum coactum obsequium accipere. Respondemus enim imprimis difficultatem hanc multo magis valere in sententia ipsius Calmet, qui putat puellam morti devotam fuisse. Deinde vero difficultatem

de medio tollit plenus ac perfectus ipsius puellae consensus: « *Pater mi, inquit, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis* » (v. 36).

2° Confirmatur haec opinio ex incommodis quae occurrunt in opposita sententia. Omissa enim facti improbabilitate ob ipsam eius atrocitatem, et expressam Dei prohibitionem, ut supra vidimus, in hypothesi de cruenta immolatione plura alia incommoda et absurda occurrunt. Et primo quidem si lephte ex errore vel ignorantia verum humanum sacrificium vovisset verosimile ne est sacerdotes, aliosque sanctos viros et in Lege doctos illum non monuisse de actus impietate, praesertim cum inter votum, eiusque executionem duo integri menses intercesserint? Praeterea ex Lev. XXVII, 1-8 constat eos qui seipso per votum Deo obtulerant facultatem habuisse seipso redimendi pretio ibidem determinato, quod manifestum est etiam de aliis quos quisque Deo vovisset a fortiori intelligi posse. Cum igitur lephte filiam sibi occurrentem vidisset, eaque de causa dolore correptus fuisset, in prompta erat medium evadendi a dura illa necessitate; si scilicet pretium triginta siclorum argenteorum, vel etiam decem pro varia puellae aetate solvisset: quod si ponamus lepthem hoc legale remedium ignorasse, non deerant certe qui de eo illum monerent, atque ita patrem simul ac filiam a tanto infortunio liberarent. Frustra hic Calmetus appellat ad Lev. XXVII, 28, 29 ubi legitur res vel homines Deo consecratos eo voti genere quod Hebraei **הֲרָם** *hherem* appellant redimi non potuisse, sed immolandos fuisse (1). Miramur enim quomodo clarissimus auctor sibi persuadere potuerit permissum fuisse Iudaeis seipso aut alios certae et ineluctabili morti devovere, quo nihil magis sive legi naturae, sive Moysis praescriptis contrarium esse potest. Quare nec unum in tota historia Hebraeorum huiusmodi rei exemplum afferri potest. Verum laudatus auctor duo hic confundit, *votum scilicet et anathema*,

(1) « Omne quod Domino consecratur sive homo fuerit, sive animal, sive ager non venditur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quae offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur. » In toto hoc textu occurrit unice praedicta vox **הֲרָם** pro consecratio, et verbum **הֲרָרִים** pro consecrare offerre.

neder נָדַר, et *hherem* חָרַם. Primum cum homines respiceret licitum erat, et redimi poterat, alterum non erat licitum nisi contra reipublicae hostes, aliosque scelestos homines iam a Deo explicito vel implicito exterminio devotos; qua ratione Iudaei aliquando integros Chananaeorum exercitus Deo voverunt, et huius anathematis causa exterminarunt, ut ex. gr. Amalecitas, urbem Iericho, incolas labes-Galaad, regem Arad etc. (Ios. VI, 17, Num. XXI, 1-3 etc.). Huiusmodi igitur homines revera occidendi erant voli causa. Verum unusquisque videt votum lephte huiusmodi non esse, non solum enim licitum ei non fuisset obvium quemcumque, multo minus filiam innocentem anathemati devovere, sed praeterea eius votum in textu vocatur *neder* נָדַר non autem חָרַם *hherem*, et id quod se facturum spondit fuit *oblatio* seu *holocaustum Domino* (עֹלָה); porro res anathemati devotae non erant Deo offerendae, sed perdendae et exterminandae, nec proprie dici poterat Chananaeos aliosque fuisse Deo *oblato*s cum ab Hebraeis necati sunt.

3^o Argumenta alterius sententiae non magni momenti sunt. Quod enim dicunt primo de obvii verborum sensu ex hucusque disputatis facile solvitur. Ex his enim apparet sensum quem illi verbis textus affingunt non ita obvium esse, ut non possit narratio aliter commode explicari. Quod secundo addebant de Hebraeorum et Christianorum consensu quaestionem non dirimit. Imprimis enim Hebraeorum plerique, qui in patria historia testes satis idonei sunt, contrarium tenent, ut supra vidimus. Patres autem et Theologi, praeterquamquod non ita multi sunt, in quaestione mere historica et critica spectandi non sunt ut divinae traditionis testes, sed ut privati doctores, quorum opinio potest cum debita reverentia ad examen revocari, et si oportet gravioribus rationibus impugnari. Denique fabula Agamemnonis et Iphigeniae utrum ex nostra historia originem habuerit dubitari potest: sed etiam hoc admissio, posset fabulae origo optime explicari in sententia a nobis proposita; quis enim nescit vera facta quae apud Hebraeos acciderunt a paganis exaggerata fuisse, et multis figmentis admixta? Praesertim cum in fabula Iphigeniae vera puellae mactatio desit; serunt enim Dianam Deam impii et crudelis sacrificii executionem impedivisse suffecta cerva, quae loco Iphigeniae immolata est, quod contra adversarios facere videtur.

§. IV. De gestis Samsonis Iudic. XIII-XVI.

Samson filius Manue de tribu Dan postremus est ex Iudicibus, de quibus in libro Iudicum fit sermo. Mira eius gesta narrantur in laudato libro ab initio cap. XIII, usque ad finem XVI, ubi diximus proprie seriem historiae desinere, nam quinque postrema capita de quibusdam factis anterioribus tractant ad modum appendicis. Narratur itaque imprimis Samsonis ortus ab angelo praedictus, qui etiam praenunciavit puerum tota vita sua Nazaraeum futurum; tum natus puer specialiter a Deo benedictus dicitur cumque adolescere coepisset « *coepit spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa, et Esthaal* » (XIII, 24, 25). Adolescens sibi uxorem elegit mulierem Philisthaeam in Thamnatha commorantem, quam cum inviseret occurrit ei leo in itinere, quem Samson necavit « *quasi hœdum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu* » (XIV, 6). In huius cadavere post aliquot dies invenit favum mellis (ib. 8), unde occasionem sumpsit difficile aenigma proponendi sodalibus triginta, qui ei ad solemnitatem nuptiarum dati fuerant, promisso eis praemio triginta vestium mutatoriarum si aenigma solvissent. Cum autem isti per ipsam sponsam aenigmatis solutionem invenissent Samson iterum spiritu Domini correptus « *descendit Ascalonem, et percussit ibi triginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis qui problema solverant* » (XVI, 19), et iratus, relicta sponsa, discessit. Dein vero cum ad eam redire vellet, et invenisset eam alteri marito concessam fuisse coepit vehementius Philisthaeorum damnis et exterminio operam dare. Ac primo quidem segetes eorum incendit, immissis in illas trecentis vulpibus cum facibus ad caudas alligatis (XV, 4-6); tum vero fractis funibus, quibus a suis vindictam Philistinorum timentibus constrictus fuerat, mille Philistaeos asini maxilla forte inventa prostravit, et ex eius dente molari scaturientibus aquis sitim restinxit (XV, 12-19). Paulo post a Philisthaeis intra urbem Gaza conclusus: « *Apprehendit ambas portae fores cum postibus suis et sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron* » (XVI, 1-3). Verum deinde cum Dalilae cuiusdam amore captus fuisset, Philisthaei eam subornarunt ut causam prodigiosae fortitudinis a Samsone carperet, ut ita eum vincere possent. Samson itaque postquam iterum et tertio mulieri illusisset

falsas causas praetexens, tandem importunitate eius devictus veram causam aperuit inquit: « *Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia nazaraeus, idest consecratus Domino, sum de utero matris meae; si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea et deficiam, eroque sicut caeteri homines* » (XVI, 17). Re cognita, mulier dormienti crines rasis, quo facto, fortitudine amissa, Samson a Philisthaeis comprehensus et oculis orbatus servili operi mancipatus est. Verum paulo post cum illudendi causa in conventu Satraparum et populi post festivum convivium Samsonem ad se adduci fecissent, ipse invocato Domino et pristina fortitudine subito recepta: « *Apprehendens ambas columnas quibus innitebatur domus, alteramque eorum dextera, et alteram laeva tenens ait: moriatur anima mea cum Philisthim; concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes principes, et caeteram multitudinem quae ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante eius occiderat* » (XVI, 29, 30), scilicet tria circiter millia utriusque sexus, ut dicitur supra (v. 27).

Haec est summa historiae Samsonis, in qua multa adversarii reprehendunt tamquam absurda, fabulosa, aut Scripturarum sanctitati contraria, de quibus breviter tractabit sequens.

THESIS XXXVI.

In historia Samsonis falsa aut absurda contineri rationalistae immerito contendunt.

Quoniam facta ab adversariis impugnata plura sunt et diversae omnino naturae eadem singillatim expendemus. Itaque

Obiic. I. Iud. XIII, 3-5 Samsonis ortum ab angelo praenuntiatum fuisse, qui etiam praedixit illum nazaraeum Dei futurum. Verum, inquit adversarii, moralis Samsonis character hisce prorsus non respondet. Primum enim mulieri alienigenae nupsit contra Legem (XIV, 4, seqq.), tum inhumane prorsus contra Philisthaeos innocentes se gessit (ib. 19.), inhonesta quoque patravit (XVI, 4), denique mortem sibi conscivit ut seipsum ulcisceretur (XVI) Hisce tamen non obstantibus non solum eius nativitas ab Angelo praedicta

dicitur (XIII, 3-5) sed etiam spiritu Dei plenus fuisse affirmatur (XVI, 19), imo a Paulo (Hebr. XI, 32, 33) inter eos numeratur qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Haec certe Scripturarum sanctitati repugnarent si vera essent Samsonis gesta.

Resp. Extraordinaria dona quae Samsoni concessa dicuntur, et specialis circa eum providentia, non tam ad personalem eius sanctitatem fovendam vel remunerandam, quam ad populi defensionem et liberationem a iugo Philistaeorum spectabant. Hinc necesse non est omnium Samsonis gestorum honestatem defendere. Neque obstant citata verba XVI, 19: « *Irruit itaque in eum spiritus Domini, descenditque Ascalonem et percussit ibi triginta viros.* » Nam nonnulli animadvertunt necesse non esse in proprio sensu ea verba accipere de Spiritu Sancti praesentia, aut impulsu; sed iuxta usum loquendi Hebraeorum *spiritus* potest accipi pro furore, vel bellica virtute; quod autem additur *Domini* non est nisi Hebraica loquutio qua superlativum exprimi solet quemadmodum frequenter occurrit in *V. T. somnus Dei* pro somno profundo, *montes Dei* pro montibus altissimis, *cedri Dei* pro cedris immensae molis, et similia. Hic igitur spiritus Domini significare potest animam aut furorem maximum, quemadmodum forte accipiendum est etiam 1 Reg. XI, 6 ubi legitur: « *Et insilivit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba haec, et iratus est furor eius nimis.* » Quod pertinet autem ad testimonium Pauli notandum est *fidem* in eo loco, ut et in aliis multis, sumi pro fiducia in Deum, quae certe Samsoni negari non potest: item *iustitia* ex usu biblico pro vero Dei cultu accipi potest, et *promissionum adeptio* de divinae protectionis et assistentiae assequutione plerumque intelligitur. Quare ellogium Pauli in Samsonem quadrat, praesertim cum de multis simul ibi loquatur, qui proinde non omnes eodem modo aut eodem gradu in istius ellogii partem necessario venire debent. Idem quoque dicendum videitur de verbis quae leguntur Iud. XIV, 4 ubi cum sermo sit de connubio cum muliere philisthaea ineundo observat sacer textus: « *Parentes autem eius nesciebant quod res a Domino fieret (hebr. quia a Domino hoc), et quaereret occasionem contra Philisthim* » in stylo enim biblico a Domino esse dicitur etiam illud quod Deo disponente fit quamvis actus per se inspectus culpa non vacet. Quapropter si qua est inhonesta Samsonis agendi ratio, haec sanctitati Scripturarum, aut earum veritati non offi-

cit: quinimo harum rerum narratio ingenuitate et candorem scriptoris libri commendat; si enim mentiri voluisset gloriosa potius quam probrosa de tanto viro confingere studuisset. Verum non facile debemus Samsonis actus ut honestati contrarios reprehendere: plura enim ex adiunctis temporum, aut ex speciali Dei permissione honestari possunt. Ita ex. gr. violenta in Philisthaeos irruptio (XIV, 19) caeteraque damna etiam per fraudem iis illata, mors quoque Samsonis cum Philistinorum consensu ex eo excusari possunt quod Philisthaei hostes Hebraeorum essent, et Samson specialiter a Deo electus fuerit ut eorum iugum, sub quo multos iam annos gemebant, ab Hebraeis excuteret (XIII, 5). Fortasse etiam coniugium a Samsons initum cum Philisthaea excusari posset: lex enim quae prohibebat cum alienigenis illius regionis inire nuptias, erat lex positiva, a qua facile poterat dispensari ob gravem causam, nempe facilius hostes debellandi (XIV, 4). Mors autem sibimet a Samsons illata non solum suicidii crimen non est, sed magnae potius fortitudinis et patriae charitatis actus. Imprimis enim agentis mens et consilium manifeste erat hostes opprimere, propria autem mors non directe intenta fuit, sed permessa. Deinde negari non potest specialem Dei licentiam in eo facto interfuisse ut textus (XVI, 28, 29) non obscure indicat cum refert Samsonis ad Deum preceationem, et vires statim illi a Deo restitutas. Quare hac de causa virum laudat Augustinus de Civ. Dei lib. I, cap. 21 inquit: « Hoc fecisse Samsonem non humaniter deceptum, sed divinitus iussum, nec errantem sed obediens: nec de eo nobis aliud fas est credere. » Quam sententiam interpretes passim sequuntur.

Obit. II. In capite XIV plura absurda de Samsons et leone narrari. 1^o Dicitur Samson *saevum leonem* sibi occurrentem in frusta discerpisse, cum *nihil omnino haberet in manu*, id est solis manibus, sine armis, quod est omnino incredibile. 2^o In mortui leonis cadavere post aliquot dies invenit *examen apum* et *favum mellis* (XIV, 5, 6, 8). Hoc autem impossibile est cum experientia doceat apes a cadaveribus maxime abhorreere, quod etiam Aristoteles lib. IX de historia animalium cap. 40 observat scribens: « Carnem (apis) non tangit, nec obsonium appetit » et Plinius lib. XI, cap. 21 de vespis animadvertit: « Omnes carne vescuntur; contra quam apes quae nullum corpus attingunt. » Notum est etiam ab immunditia, putredine et malo odore apes refugere.

Resp. breviter nihil inverosimile in utroque facto deprehendi. Et ad 1^{um} facile est intelligere, si vires tam extraordinariae Samsoni inerant, potuisse illum etiam leonem discerpere, praesertim si attendamus leones Palaestinae et Syriae multo minoris molis et fortitudinis esse quam Africanos: quibus etiam accedit leonem illum quem Samson occidit adhuc iuvenem fuisse seu leunculum, ut expresse dicitur in textu: *אֶרְיוֹת כְּפִיר* *catulus leonarum*. Hinc non unus Samson sed alii quoque idem vel simile fecisse dicuntur ex. gr. David adhuc adolescens 1 Reg. XVII, 34-36: « Pascibat (inquit de se ipso) servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis: et persequeretur eos, et percutiebam eruebamque de ore eorum, et illi conurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam interficiebamque eos » quod etiam commemoratur Eccli XXVII, 3. Simile aliquid legitur de Banaia uno ex fortissimis bellatoribus David regis (2 Reg. XXII, 20). Ad 2^{um} quod attinet nihil incredibile continet narratio illa de favo mellis in ore leonis extracto. Si enim cadaver illud adhuc carnis praesertim putrefactis indutum fuisset concedimus factum incredibile fore. Non ita vero si supponamus solum leonis scheleton relictum fuisse a quo apes refugere non solent. Id autem revera accidisse facti concesserit qui recolat in Palaestina ob ingentem numerum carnivororum animalium omnia cadavera brevi admodum tempore carnis expoliari, quibus additur intensus solis ardor, qui ossa facile exsiccat, ac ita foetorem impedit. Quae quidem ex itineratorum relationibus confirmantur, qui referunt ex. gr. equorum cadavera in ea regione uno vel altero die a canibus, vulturibus, aliisque feris ita vorari ut sola ossa maiora relinquuntur arida, et minime male olentia. Quare caput leonis osseum apibus opportunum perfolium exhibebat ad favum extruendum. Quod quidem brevi admodum tempore fieri potuit cum constet quoddam apum genus existere quae his in mense mellificat, imo cum aliquod examen in arbore consedit octo vel decem horarum spatio parva alvearia in ramis relinquit, ut testatur etiam Plinius Hist. Nat. Lib. XI, c. 48. Simile exemplum in humano capite refert Herodotus Hist. Lib. V, Cap. 114 ubi Onesili tyranni mortem narrans addit: « Onesili caput Amathusii, quia ipso obsederat, amputatum, et Amathentem delatum supra portas suspenderunt. Illud autem suspensum, cum exsiccatum

iam esset, examen apum ingressum favis implevit. » Nec obstat quod dicitur Iud. XIV, 8 *post aliquot dies* reversum Samsonem cadaver leonis et favum vidisse. Imprimis enim pauci etiam dies, puta quindecim vel viginti, ex dictis, sufficiebant; deinde in hebraico textu non est vox *aliquot* sed tantum *post dies* (מִיָּמִים) quod etiam servavit Graeca versio reddens μετ' ημερας, quod ex usu Hebraico diuturnum etiam tempus, quandoque solidum annum, significat (ut ex. gr. Gen. IV, 3, et in ipso libro Iudicum Cap. XVII, 10): aliunde etiam verosimile est Samsonem post annum reversum esse *ut acciperet uxorem*, tunc enim ad matrimonium celebrandum veniebat (XIV, 8) quod iuxta consuetudinem Hebraeorum post annum a matrimonii promissione fieri solebat, ut expresse dicitur in Thalmude (*Misna* Tract. *Chetuboth* Cap. V).

Obit. III quod legitur Cap. XV. 45 Samsonem trecentas vulpes cepisse, easque binas iunxisse, facibusque ad caudas alligatis, in segetes Philistinorum immisisse ut eas incenderet. Quis, inquit, crediderit tantum vulpium numerum inveniri a Samstone, et vivas apprehendi potuisse exiguo praesertim temporis spatio?

Resp. Vulpibus abundare Palestinae regionem notissimum est; quarum tamen variae sunt species ab Hebraeis sub generico nomine שִׁינֵי designatae, inter quas species est etiam illa notissima sub simili appellatione *scikal*, quae etiam *canes aurei* dicuntur, et haec species in Orientis regionibus maxime abundat ita ut circa vineas, in domorum ruderibus, et in sylvis earum gannitus passim audiantur, et integri earum greges aliquando occurrant: amant enim gregatim incedere canum more, nec ab hominum consortio abhorrent. Haec confirmari possent pluribus testimoniis itineratorum ut ex. gr. Chardin, Morison, Hasselquist, et imprimis celebris Niebuhr qui in *Descriptione Syriae* etc. Tom. I Pag. 231, 232 ita de praedictis animalibus loquitur: « Scikal est quaedam vulpis, seu canis sylvestris species, quorum ingens copia reperitur in Indiis, Persia, Syria, prope Constantinopolim et alibi.... Sunt autem ita audaces ut etiam domos penetrent, et famulus meus extra portam urbis Bombay commorans, etiam in culina domus eos aliquando inveniebat. » Etiam in sacra Scriptura de multitudine horum animalium fit mentio. Ezechiel XIII, 4 loquens de pseudoprophetais quorum integrae turmae erant in Israel eos *vulpibus deserti* com-

parat; in Cantico II, 15 sponsus magnum earum numerum indicat illis verbis: *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoluntur vineas* » et in lib. Iosue XV, 28, et XIX, 3 occurrit regio quaedam nomine שִׁינֵי הַצֵּבִי אוּרְיָמָה seu *atrium vulpium*. Non est igitur incredibile potuisse Samsonem tantam vulpium copiam cito invenire. Nec est magis inverosimile quod eas ceperit et alligaverit. Ut enim supra innuimus, animalia ista satis domestica sunt, et facile capiuntur; nec putandum est omnes vulpes suis manibus cepisse Samsonem, sed procul dubio et servos et amicos adiutores habuit, quamvis ipse dicatur eas cepisse; quod enim quis per alium facit per se ipsum facere videtur. Nihil igitur absurdi in praefata narratione invenitur, neque omnino recurrendum est ad interpretum quorundam explicationem, qui putant vocem hebraicam שִׁינֵי hic non vulpem significare, sed ardentem ramam, vel palarum fasciculum, quod neque ex lexiciis probare possunt, et etiam si etymologicae defendi posset narrationis tamen contextui minime conveniret. Ceterum stratagema illud non est omnino novum in historia, cum etiam Romani ex vetusta consuetudine solerent vulpes cum facibus ad caudas alligatis in circo discurrerent exhibere, cuius spectaculi originem Ovidius repetit ex quodam adolescente qui in urbe Carseolorum vulpe capta, eaque dimissa cum ardentibus stipulis segetes casu incendit. Narratio Ovidii Fast. Lib. IV. incipit:

Cur igitur missae vinctis ardentia taedis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est.

Postea causam rei docet, illatumque a vulpe Carseolana damnum describens ait:

Qua fugit incendit vestitos messibus agros:
Damnosis vires ignibus aura dabat etc.

In se etiam spectatum Samsonis consilium valde opportunum fuisse videtur ut eodem tempore et noxiis illis belluis regionem purgaret, et hostibus ingentem damnum inferret. Vulpes etiam, seu canes aureos ad hoc aptissime selegit, quia longas admodum caudas gerunt, et huc illuc oblique discurrere solent, et cum praeterea ignem maxime timeant, naturali quodam instinctu in

altas segetes se immittere debebant ut perfrugium et latibulum quaerent (1).

Obit. IV. Incredibiles omnino videri vires Samsonis, quibus et novas funes, et septem vincula nervea adhuc humentia quibus ligatus fuerat subito fregisse dicitur (XV. 14, XVI. 7-9), et urbis Gazae portas cum postibus et seris evulsisse (XVI. 3), et, ceteris omissis, duas columnas domum fulciantes excussisse et confregisse (XVI. 29. 30). Quod autem rem absurdiorum facit et figmento similem illud est quod Cap. XVI legitur, tam insolitas vires in crinibus Samsonis resedisse (v. 17).

Resp. Samsonis vires extraordinarias quidem et mirabiles fuisse, non ita tamen ut historice admitti non possint. Negari enim non potest hoc Dei donum fuisse; quod quidem ad Philisthaeorum exterminium Samsoni concessum fuit, simul tamen adnexum erat voto Nazaraeatus, cuius pars et officium erat ne unquam coma tondetur; quare hoc voto semel violato, vires statim recessisse dicuntur. Hinc patet responsio tum ad primam obiectionis partem, tum ad alteram de capillis Samsonis. Non enim in capillis vires illius resedisse dicuntur, ut volunt adversarii, sed comae integritas, utpote Nazaraeorum officium et externa Nazaraeatus tessera, erat conditio, sine qua non concedebatur Samsoni donum illud extraordinarium, proindeque comae abrasio non quidem per se virium subtractionem secum ferebat, sed quatenus erat voti perpetui violatio. Id evidens fit ex verbis quibus Samson arcanum Dalilae significavit: « Ferrum, inquit, nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaraeus, idest consecratus Deo sum de utero matris meae: si rasum fuerit caput meum recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines. »

Obit. V. speciatim quod legitur in Cap. XV, 15-19 ubi narratur Samsonem asini maxilla forte inventa mille viros interfecisse, et, quod magis mirum est, ex eiusdem maxillae dente aquas ad sitim Samsonis extinguendam egressas fuisse. Quae certe, inquit, incredibilia sunt.

Resp. ad 4^m Etiamsi concederemus Samsonem sola asini maxilla armatum mille Philisthaeos vere ac proprie necasse, difficile esset adversariis hoc impossibile aut absurdum ostendere consideratis

(1) Plura de hac re videri possunt apud Calmet Com. in h. l. et Veith *Scriptura contra incredulos vindicata* Part. II, V. T. Sect. II, Quaest. IX.

scilicet insolitis viribus Samsonis et Palaestiniensium asinorum magnitudine, unde eorum maxillae satis aptum instrumentum robusto viro praebere possunt ad homines occidendos. Sed praeterea probari nequit mille Philisthaeos revera occisos fuisse, nam textus Hebraicus ita reddi potest ut significet eos percussos, profligatos et in fugam versos fuisse. Scilicet cum Samson, ruptis subitò funibus, quibus a suis constrictus fuerat, et asini mandibula arrepta, magno impetu irruisset in turmam illam Philistinorum qui ad illum recipiendum pacifice venerant, et nihil tale expectabant, mirum non est si statim terrore percussus fuerint, ita ut paucis eorum interfectis, pluribus vulneratis, ceteri fugam arripuerint. Nihil amplius ex textu (ubi vox נָדָה et percussit occurrit) certo erui potest. Ceterum similia facta in aliis quoque historiis occurrunt, uti sunt illa notissima Horatii Coelitis, et Aurelii Imperatoris (apud Vopiscum in Aurelio Cap. VI) apud Romanos, tercentiorum Spartanorum ad Thermopylas apud Graecos etc. Ad 2^m quod attinet respondemus fontem illum prodigiose emanasse, in quo certe nulla reperitur absurditas, cum etiam alias de terra, vel de rupe aquae scaturierint divina virtute, ut sacrae literae testantur. Hic tamen quaestio moveri potest an aqua illa ex maxillae denteeducta fuerit, an vero ex aliqua rupe quae esset in loco, cui nomen maxilla. Ubi enim Vulgata habet *molarem dentem in maxilla asini* Hebraicus textus legit: אֶת־חֹמְתָשׁ אֲשֶׁר בְּלָחִי, quae verba reddi possunt tamquam propria nomina locorum ex facto illo Samsonis derivata, ita ut sensus sit « aperuit Deus (rupem) *Mochlesc*, quae est in *Lechi*, et egressae sunt ex ea aquae. » Sane in eodem loco (v. 17) legitur Samsonem postquam percussisset Philisthaeos rupi vicinae nomen dedisse רַמַּת לָחִי (*Ramath Lechi*) id est *elevatio maxillae* seu *collis maxillae*, quod nomen proprium illius loci evasit. Cum igitur postea in v. 19 dicatur Deus ex maxilla aquam eduxisse commode intelligi potest de loco seu rupe nomen illud gerente atque ita res minus incredibilis adversariis videri poterit. Confirmatur haec explicatio non solum ex auctoritate Iosephi Flavii qui Antiq. L. V. Cap. X hac ratione factum interpretatur, sed etiam Chaldaicae paraphrasis Ionathanis, quae hunc locum ita reddit: « Rupit Deus petram (כִּיפָה) quae in Maxilla (idest sita in loco cui nomen maxilla) et exierunt ex ea aquae » quibus accedunt magno numero recentiores interpretes. Confir-

matur explicatio ex circumstantia in v. 19 commemorata, quod fons ille perennis fuerit « usque in praesentem diem » idest usque ad tempus quo liber Iudicum scriptus est, quod quidem de fonte ex rupe scaturiente facile intelligitur, non ita vero de aquis ex dente maxillae eductis. Accedit etiam nomen *dentis molaris* (hebr. מלתח) apte intelligi posse de rupe, nam alias etiam nomine *dentis* דנן ab Hebraeis rupes acutae et praeruptae ob similitudinem vocari solebant ut ex. gr. 1 Reg. VII, 12 et clarius XIV, 4 ubi legitur: « Erant autem... eminentes petrae ex utraque parte et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde praerupti, nomen uni Boses, et nomen alteri Sené(dentes). » Plura vide apud Calmet Com. in hunc locum. Haec videtur valde probabilis explicatio obiecti loci, quin dicamus cum Tirino, et Cornelio a Lapide fontem ex terra prosiluisse, sed per dentem maxillae in terram proiectae egressum fuisse, aut etiam primum ex maxilla aquas egressas esse, postea vero, maxilla sublata, ex terra egredi coepisse, quibus videntur miracula multiplicari sine necessitate.

§. V. De factis Tobiae et de Daemone Asmodaeo.

Quamvis de libro Tobiae in secunda parte plura dicturi sumus, praestabit tamen hic praecipuas quasdam difficultates expendere quae adversus historiam in hoc libro narratam afferri solent; quae quidem ad quatuor capita revocari possunt, quae proposita sequenti Thesi diluemus.

THESIS XXXV.

Liber Tobiae nihil continet, ex quo ostendi possit eius auctorem vel falsa narrasse, vel allegoriam potius quam veram historiam exponere voluisse.

Ex multis obiectionibus quae contra Tobiae historiam afferri solent praecipuas tantum dissolvendas suscipimus ad quatuor capita eas revocantes: aliae enim respiciunt Archangeli Raphaelis dicta et facta, aliae prodigia quae in itinere Tobiae acciderunt, aliae daemone de quo mira quaedam in hoc libro narrantur, quarta denique difficultas ex silentio profanorum scriptorum praesertim Iosephi Flavii desumitur. De singulis breviter.

I. Obiectiones ex loquendi et agendi ratione Angeli.

Angelus Raphael qui Tobiam in itinere comitatus est ita se gessit ac loquutus est ut a mendacio excusari non possit. Sane 1° interrogatus a Tobia undenam sit respondet: *ex filiis Israel*; et addit se frequenter *omnia itinera ambulasse*, quae Rages Medorum ducunt, et apud Gabelum mansisse, quem etiam *fratrem suum* (idest propinquum vel contribulem) appellat (Tob. V, 7, 8). 2° Rogatus de sua familia et nomine aperte respondet: « *Ego sum Azarias Ananiae magni filius.* » 3° Iterum rogatus a Ragnele undenam sint ipse et iunior Tobias statim respondet plurali numero: « *Ex tribu Nephtali sumus ex captivitate Ninive.* » Haec quidem, inquit adversarii, mendacia sunt, quae certe Angelo Raphaeli convenire non possunt, atque ideo historiae vera esse nequeunt.

II. Obiectiones ex parte eorum quae Tobiae in itinere acciderunt.

Postquam Tobias angelo comitante profectus est quaedam accidisse ei dicuntur, quae sunt prorsus incredibilia, ut illud quod legitur de pisce, qui eum devorare volebat, quique a Tobia apprehensus statim ad terram adductus est, et exspiravit. Quod autem magis miram videtur illud est quod angelus de eo affirmavit: « *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus daemoniorum sive a viro sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos. Et fel valet ad ungendo oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur.* » (VI, 1-9), quod postea revera factum esse dicitur (VIII, 2, 3. XI, 13-15). Praeterea contradictionem involvit quod legitur IX, 3 Tobiam angelum ad Gabelum in Rages Medorum misisse, cum tamen ipse Tobias tunc in ea civitate moraretur (VI, 6-11), ubi Sara cum Ragnele domicilium habebant.

III. Obiectiones quae respiciunt Daemonem Asmodeum.

Fabulosa omnino sunt, inquit adversarii, quae in hoc libro de daemone narrantur, scilicet eam septem Sarae maritos occidisse prima nuptiarum nocte (III, 8), veluti si zelotypia pro muliere illa moveretur, quod etiam in graeca versione expresse dicitur (VI, 15). Quae quidem de spiritu qualis est daemon intelligi non possunt. Insuper incredibile est quod postea legitur eundem daemonem post incensum a Tobia iecur piscis *apprehensum* fuisse a Raphaelae archangelo, et *relicatum in deserto superioris Aegypti* (VIII, 2, 3).

IV. Obiectio ex silentio profanorum scriptorum.

Hisce omnibus, inquit, accedit nullam mentionem de factis